

Balthasar Rhaw

Disputatio Theologica ex B. Dn. L. Balth. Rhau, Theologi Pomerani Theologia Polemica sistens Creationem & Gubernationem Mundi

Rostochii: Typis Joh. Weplingi[i], [1709]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003416098>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 19.Aug.1709

Grapius, Zach.



J. N. I.
DISPUTATIO THEOLOGICA

ex
B. DN. L. BALTH. RHAU,
Theologi Pomerani
THEOLOGIA POLEMICA
sistens
CREATIONEM &
GUBERNATIONEM
MUNDI

Quam
Consentiente Maxime Rever. Theologorum Ordine
in Perillustri ACADEMIA ROSTOGHIENSI
PRESIDE
Viro Maxime Reverendo, Amplissimo, ac Excellentissimo
Domino

ZACHARIA GRAPPIO,
Theologiae Doctore Ejusdemq; P. P. O.
Celeberrimo, ad Aedem D. Jacobi verbi Divini
Ministro Dignissimo

placida Commilitonum Disquisitioni

d. 19. Aug: Anno MDCCIX.

Submittit.

LUDOVICUS Schulz /

Gedano-Prussus.

ROSTOCHII,
Typis JOH. WEPPLINGI. SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

VIRIS,

*Magnificis, Maxime Reverendis, Generoso,
Amplissimis atque Excellentissimis,*

DN. JOHANNI FECHTIO,

S. S. Theol. D. ejusdemque P. P. O. celebratissimo, Con-
sist: Duc. Consiliario gravissimo, Districtus Rostoch Supe-
rintendenti vigilantissimo, Fac: suæ Seniori incompa-
rabili & h. t. Academiæ **RECTORI**
Magnifico.

**DN. ALBERTO JOAGHIMO de
KRAKEVITZ,**

S. S. Theol. D. maximè venerabili, ejusdemque Pro-
fessori Publ: longe celeberrimo, meritissimoque.

DN. JACOBO BURGMANNO,

Phil. D. Famigeratissimo, Græc lit: Prof. Publ. cele-
berrimo & Ecclesiastæ Nicolaitano fidelissimo, Hospitimo
ætatem colendissimo.

Perquam Reverendo, Amplissimo & Præcellentissimo,
DN. MICHAELI Gottlieb HANSCHIO,

Phil. D. fulgidissimo, & S. S. Theol. D do dignissimo,
Collegii B. Mariæ Virginis in Acad. Lips. Collegiato
spectatissimo, Affini meo nunquam non
honoratissimo.

DOMINIS, PATRONIS, PRÆCEPTORIBUS,

& in Christo PATRIBUS summa mentis veneratione ad-
cinetes usque sancte prosequendis,

Primitias hæc Academicas cum perennantis felicitatis
voto quam humillimè consecratis & se suasque
Musas etiam atque etiam Commendatas cupit.

TANTORUM LUMINUM ac NOMINUM

Clientis devinctissimus

LUDOVICUS Schulz / Gedano-Prussus.

LIBER IV.

DE MUNDI CREATIONE GUBERNATIONE
ET CONSUMMATIONE.

Mpera Dei, quibus *ἀόρατα αὐτῆς* h. e. *αἰθῆρ δόξα* *καὶ θεοῦ τῆς* aspiciuntur vel generatim vel *speciatim* obijciuntur intellectui. *Generatim* totus Mundus se offert, circa quem Deus tripliciter versatur, adeoque hujus Libri Controv. erunt tres, quarum *prima* Creatum, *secunda* gubernatum, *tertia* contummandum evolvet Mundum. *Speciatim* Dei opera in Angelis, Hominiibus & aliis Creaturis conspicua, de quibus tuo loco inferius.

CONTROVERSIA I.
DE MUNDI CREATIONE.

Lactant. lib. 2. Infit. cap. 5. argumentum primæ hujus Sectionis ita enarrat: *Deus verus stabili terram firmitate suspendit, cælum astris fulgentibus distinxit, solem rebus humanis clarissimum ac singulare Lumen in argumentum sua Unicae majestatis accendit, terris maria circumfudit, Flumina sempiterno lapsu fluere præcepit.*

*Jussit & extendi campos, subsidere Valles,
Fronde tegi sylvas, lapidosos surgere montes.*

Creatorem totius universi eminentissimum Opificem his dictis commendatum, intelligimus, cujus Virtute & sapientia illæ substantiæ productæ, quæ finitam causandi Vim, respuunt; & Infinitum agens ostendunt. Sollicitos nos esse jubet nostra Methodus de *Totius Mundi Creatione*, cui tenebras offundere satagunt quidam Philosophi Theologi, fumos Discursuum S. Scripturæ dictis insinuantes. Cum his ut ordine dimicemus, tribus in Capitibus detinebimus pugnam; In PRIMO de Deo Creatore; In SECUNDO de CREATIONE, & in TERTIO de *Creata mundi Systemate* erit decertandum.

CAP. I.

DE DEO CREATORE.

DEum esse Creatorem mundi, nemo inficiatur, qui sacris literis fidem habet: Disputant quidam; *Ab ex sola Revelatione innotescat, mundum in Tempore ex nihilo esse à DEO creatum?* sed non spero ullam Contradictionem, si asseramus: 1. *Creationem mundi sperari argumentis Philosophicis, ex rationis penu depromptis, confuse, impertecte, probabiliter ut possibilem.* 2. *Ex sola Dei Revelatione innotescere distinctè perfecte & fidei certitudine, Mundum esse creatum* (1) *in tempore.* (2) *à DEO uno, qui Pater Filius & Spiritus S.* (3) *ex nihilo* (4) *Sex dierum spatio & (5) eo fine, ut intelligentes Creatura Creatoris sui Sapienciam, Bonitatem ac potentiam agnoscerent, celebrarent suoque modo participarent.* PRIMÆ Assertioni fidem faciunt 1. *Eloquia Gentilium, quibus fatentur, se Mundi Creationem aliquo modo agnovisse. Vide illa adducta à Justino Mart. in *ωραρίω* pr. adv. Græc. pag. m. 11. in Apolog. 2. pro Christ. Theodoreth. serm. 2. de Curat. græcar. Affect. Morn. de Ver. Relig. cap. 9. Perer. lib. 5. Phys. General. cap. 7. 8. J. Mart. l. 2. Exercit. Metaph. 5. theor. 2.* 2. *Argumenta Philosophica, Mundi Creationem adstruentia, quæ collegit Zanch. lib. 1. de op. 6. Dier. c. 3. q. 2. Morn. d. l. c. 7. J. Mart. in Bernuufft Sp. l. 1. cap. 71. 73. lib. 2. Exercit. Metaph. 5. theor. 1. Swaretz disp. 20. Metaph. 1. Schiebl. l. 2. Metaph. c. 3. n. 668.* 3. *Dicta Scriptura. Pl. XIX. 2. Roman. l. 20. Sap. 13. v. 5.* SECUNDÆ Assertioni non renunciabimus, antequam alii excriant solis argumentis Philosophicis omnia ea *conjunctim, quæ ex Dei Revelatione de Mundi Creatione agnovimus.* Expendantur etiam Dicta Scripturæ, quæ testantur, *sapienciam Hominum non invenire eum, qui colligavit aquas, q̄s. in vestimento, & suscitavit omnes terminos terre* Prov. XXX. 3. 4. Atheniense: *verum Deum, qui mundum creavit ignovisse.* A. tor. XVII. 23. Confer D. Chemnit. parte 1. Loc. Theolog. p. 116. Polan. l. 5. Syntagm. Theol. cap. 3. D. Meisner. part. 1. Philos. fabr. sect. 3. c. 1. q. 1. Et si Taurellus in Metaphyl. Philosoph. Ratione pag. 229. Zanchius d. l. & Timplerus Cap. 2. Phys. Gener. probl. 7. ex solis principiis

piis Philosophiæ firmissime Mundi Creationem demonstrari, scripterint, tamen nemo hodie, quod constaret mihi, eorum Opinionem ita propugnare, ut nostris assertionibus bellum moveat. Si vera sunt, quæ *Keckerm.* l. 7. *Phys.* annotavit, docuit quondam *Fortunatus Cröllius* in Acad. Heidelberg. nulla ratione Philosophica edoceri posse, Mundum non esse æternum. Verum nec hujus sententia invenit *ὀμπαρσις*. Antagonistæ qui nobis occurrunt in hoc Capite, disceptant 1. de Tempore, quo capit Deus Creare mundum. 2. de Unitate Creatoris, qui Pater, Filius & Spiritus, &c. 3. de Ideis, quæ in Deo representarunt mundum, antequam est conditus. 4. de liberrima Voluntate, quæ Deus creavit mundum.

QV. I. Annon Deus in Tempore. Creavit mundum?

THESES

I. **A** Thanasi l. 2. cont. *Arrian.* hæc est Doctrina: Tametsi Deo possibile fuit ab æterno opera facere, non tamen potuerunt ea quæ facta sunt ab æterno fuisse, siquidem ex non Entibus emerferunt, nec erant, priusquam fierent; Quæ autem non erant, antequam fierent, quomodo illa coexistere poterant cum DEO semper existente?

II. Adstruxerunt Doctrinam multis argumentis & Theologi & Philosophi. Videatur ex illis *Luth.* & *Brucius* in c. 2. *Genes.* *Hutter.* in *L. Th.* p. 198° *Pezel.* p. 2. *Obj.* pag. 17. *Danaus* in *Phys. Gener.* c. 15. *Polanus* l. 5. *syntagm.* c. 7. *Petrus Mart.* clas. 1. *L. cap.* 12. p. 71. *Zanch.* l. 1. *de Op.* 6. *Dier.* c. 3. *Perer.* in c. 1. *Genes.* l. 15. *Phy.* c. 1. 2. seqq. ex his vide eos, qui paulo ante citati, quibus adde *Scholasticos* in lib. 2. *sent. dist.* 1.

III. Adhæremus nos thesibus in scripto Dei Verbo formatis, quibus asseritur 1. Deum esse æternum, qui non capit existere cum Mundo, sed fuit Deus à saculo in saculum, priusquam montes fierent aut formaretur Orbis & terra. *Pf. XC.* 2. possedit sapientiam antequam quicquam faceret. *Prov. VIII.* 22. dilexit Filium suum, eique dedit claritatem antè mundi Constitutionem *Johan. XVII.* 5. 25. elegit in Christo fideles, antè mundi constitutionem *Ephes. I.* 4. dedit nobis gratiam in Christo, antè tempora æterna. *Timoth. I.* 9. promisit Vitam æternam, antè tempora secularia. *Tit. I.* 2. præcognovit Christum passum & exaltatum, antè mundi constitutionem. *1. Pet. I.* 20.

IV.

COSMOLOG. CONTROVERSIA I.

IV. 2. *Cum mundo & in mundo cæpisse Tempus, quando creatus mundus in principio, Genes. l. 1. terns fundata in Inicio. Pl. Cil. 26. Hebr. l. 10. & Deus omnia creavit ἀπ' ἀρχῆς Sirac. XVII. 4. c. XL. 30.*

V. 3. Cæpisse existentiam mundi, in die generationis sua Genes. II. 4. & credendam esse mundi *καταβολήν* Matth. XIII. 35. cap. XXV. 34. Luc. XI. 50. Apoc. XIII. 8. c. XVII. 8. nec non κόσμος καὶ κτίσις ἀρχῆν. Matth. XIX. 8. cap. XXIV. 21. Marc. X. 6. cap. XIII. 19.

VI. Mundum non esse æternum, nec æterno Deo coexistisse, absque ullo Exordio, Ratio sana & sobria agnoscit, quæ mundi Initium in certo temporis puncto concludit *ex 1. conuentione partium in mundo 2. omnium scientiarum certa ac determinata Origine. 3. Legum & politiarum exordio. 4. Historiarum principio 5. Poetarum, Philosophorumq. testimonio, de quibus vide Authores supra adductos, in Cap. præfat. & adde Bonavent. in l. 2. sent. dist. 1.*

ANTITHESES.

I. *Aristotelem contra Platonem l. 8. Phys. l. 1. ac 2. de Mundo & celo, mundi æternam existentiam voluisse tueri, ejus ex discursibus colligit Zanch. d. 1. & Perer. l. 15. Phys. in Proëm. Alii excusant Aristotelem, & probare attentant, illum non negasse Mundi Creationem, sed Generationem, Thomas Albert. M. in 2. sent. dist. 1. art. 10. Jac. Mart. Cent. 4. Q. Illustr. disp. 2. q. 5.*

II. Circa annum Christi 1206. exorti sunt *Hæretici Albienses, qui negati sunt, mundum semper fuisse; temperque tuturum. Cent. 11. Magdeb. Cap. 5. col. 217.*

III. Parisiis Anno 1270. à *Stephano Episcopo errores condemnati, quibus annumerantur pronunciata, de mundo, qui æternus, quantum ad omnes species in eo contentas. Cent. 13. Magd. col. 580. seqq.*

HYPOTHESES.

I. Mundum vel æternum esse, vel æterno Motori coexistisse, absque omni Exordio, Sathanas mentibus *Hominum suggestit l. per Curiosas Cogitationes, de iis, quæ Deus, (qui otiosus nunquam esse potuit ut primus motor) ante mundum conditum sit operatus. His opponenda Scripturæ dicta th. 3. consignata, & simplicitate credenda revelata, ignoranda autem abscondita. Legatur insuper Iren. l. 2. de Hæres. cap. 47. p. m. 117. August. l. 11. Confess. cap. 2. tom. 1. col. 185.*

II. Per

II. Per *illationem à posse in Creatore ad tò posse existere in Creaturis*, quam *illationem* th. 1. *Atbanas.* rejecit. Non quidem negare possumus, Deum potuisse omni temporis momento, quod à nobis concipitur mundum creare, tamen ejus *Æternitati* repugnat, *Creaturam* sibi *Creatori* semper *coexistere*, cum ille sit *primus & novissimus* Et. XLIV. 1. ideoque *sine principio esse*, adeo *proprium est DEO*, ut quicquid est *sine principio*, Deus sit. Confer *Perer. l. 15. Phys. cap. 10. seqq. Polan. l. 5. Syntagm. cap. 7. D. Brochmand. Artic. de Creat. q. 6.*

III. Per *Confusionem Generationis & Creationis*; quarum *distinctionem* ita explicat *Scalig. Exerc. 6. sect. 4. Creatio fit citra omne temporis momentum*; quippe à *virtute infinita*, qua *nullo tempore capitur aut distinctur: Generatio non nisi in tempore*, idque *apparata*, sicuti dicebamus, *materia per antecessionem mutationis*. Confer *Perer. l. 15. Phys. cap. 5. Polan. l. 5. Syntagm. cap. 2. Synonyma Creationis accurate ex sacris literis eruit D. Chemnit. parte 1. Loc. Theol. pag. 113.*

IV. Per *voces* *עולמ* & *איור* quibus *Mundus appellatur interdum*: Sed non *æterna vel Creatio vel Duratio mundi* his *vocibus* significatur, siquidem ad *fixum ordinem Creaturarum*, qui per *multa sæcula conservatus est*, advertere nos jubent: Sicuti *Dicta perspicua de Mundi Initio & Fine* nos erudiunt.

V. Per *Conceptus*, qui *apprehendunt Creationem* vel ut *productionem intra DEI essentiam, qualis est, Generatio æterna Filii Unigeniti & spiratio S. Spiritus*; vel ut *productionem physicam & ordinariam extra DEI Essentiam*: *Creatio mundi non est productio intra DEI Essentiam immanens*, sed est *opus DEI ad extra*, nec est *productio physica vel ordinaria*; sed *hyperphysica & extraordinaria*, quam *physica* suis ex *principiis sufficienter & perfecte non agnoscit*. Uti non *futura physica & ordinaria Mundi totius Corruptio*, ita nec fuit *physica & ordinaria totius mundi productio*. *Motus & quies in creaturis, tam mobilibus quam moventibus*, non hæret in *DEO Creatore*, qui *primus motor*, adeoque *æternus infinitus & motu suo ineffabilis*.

VI. Per *Imaginariam Novitatem in Deo, qui capit idagere, quod non egit ab æterno*: Hujusmodi *novitas nullam in Creatore*, sed *duntaxat in Creaturis* infert *mutationem*. *Homines quando agere*

COSMOLOG. CONTROVERSIA I.

incipiunt, quod ante non egerunt, mutationem admittunt: Deus autem quia eminenter & ineffabili modo agit, non mutatur in se, quando extra se producit, quod ante non fuit: Simplicitas fidei credit, & Deum immutabilem, & Mundum certo temporis Exordio creatum, quia utrumque disertis verbis docet S. Scriptura.

VII. Per Comparationem Temporis in mundo Constituto, cum tempore in mundo constituendo: Hæc fallit rationem, si mundi Creationem in tempore apprehendat, ut actionem in tempore mundi constitui: Hoc ut semper initium Futuri, & Finis Præteriti temporis, ita semper à Solis & Stellarum motu mensuratur: At in mundo Constituensdo erat Principium Temporis, quod ut nullum præcessit prius, inleqvutum autem est posterius, ita tribus primis diebus à motu Stellarum non fuit mensuratum.

VIII. Per Suppressam Differentiam Cause Naturalis, & libere agentis: Valet quidem de illa hæc Conseq. Existente causa, existit Effectus; non autem de hac, quia libere agentes sæpe existunt ante Effectum, uti Faber lignarius ante domum, Pistor ante panem, Figulus ante Ollam &c. sic & Deus ante mundum, quia ut liberrimum agens mundum condidit. Vide q. 5. hujus Cap.

IX. Per libidinem inquirendi in causas, ob quas Deus non prius Creavit mundum atq; creavit: Harum curiosis scrutatoribus inculcanda divina Voluntas, quæ causarum causa & optima & sapientissima.

Qv. II. Estne solus & unus verus Deus Creator Mundi?

THESES.

I. Affirmando respondit A. Confessio, quando art. 1. non solum professæ fuit, Deum qui est una Essentia divina, esse Creatorem visibilibus & invisibilibus, sed etiam damnavit Manichæos, qui duo principia fingebant, & Valentinianos.

II. Scriptura sacra nos erudit in apertis Testimoniis de uno & solo Creatore, vero Deo. *Job* 9. v. 8. *Esa.* 44. v. 24. *Malach.* 2. v. 10. *Corinth.* 8. v. 6.

III. Deus dicitur Universalis Creator omnium *Exod.* 20. v. 11. *Nebem.* 9. v. 6. *Psi.* 46. v. 6. *Esa.* 66. v. 2. *Johann.* 1. v. 3. *Actor.* 4. v. 25. c. 14. v. 15. cap. 17. v. 24. *Colos.* 1. v. 16. *Hebr.* 3. v. 4. *Apocal.* 4. v. 11. c. 10. v. 6. c. 14. v. 7. *Ephes.* 3. v. 9. *Syrac.* 43. v. 47. Qui ergo fingit aliquid creatum ab alio principio, pro I non est iste Deus, cujus scriptura citatis locis meminit, ille scripturæ contradicit.

IV. Creator mundi insignitur vel Jehova, vel Dominus Exercituum,

DE CREATIONE.

tuum, vel Deus Israelis *Genes. 2. v. 4. Exod. 20. v. 11. cap. 31. v. 17. 2. Paral. 2. v. 12. Ps. 115. v. 15. Ps. 121. v. 2. Ps. 124. v. 8. Ps. 134. v. 4. Esa. 37. v. 16. Sap. 9. v. 1.* Nulla autem Creatura est Jehova, Deus Israelis & Dominus exercituum, Ergo nec est creator mundi.

V. Distinctionem Creatoris & Creaturæ, veri Dei & Idolorum S. literæ petunt ab Opere Creationis 2. *Reg. 19. v. 15. Ps. 146. v. 6. Esa. 45. v. 18. Jerem. 10. v. 10, 11. c. 51. v. 19. Actor. 14. v. 15. c. 17. v. 24.* Quod igitur soli vero Deo proprium, illud ipsi cum Creaturis nudis & puris non est commune.

VI. Infinitam Potentiam & sapientiam, in Opere Creationis Spiritus S. patefactam esse, docet *Esa. 40. v. 26. c. 66. v. 2. Hiob. 12. v. 9. Jerem. 32. v. 17.* Finita igitur potestas & sapientia Creare mundum non potuit.

VII. Preces Sanctorum Sancti in Creationem defixerunt *Esa. 37. v. 16. Ps. 115. v. 15. Ps. 121. v. 2. Ps. 124. v. 8. Ps. 134. v. 4. Esib. 3. v. 10. 2. Maccab. 7. v. 23. Actor. 4. v. 25. Apocal. 14. v. 7.* Adorationis itaque & cultus religiosi regale cui adimitur, ille etiam ad Creationis opus non concurrat. Confer *Dana, part. 1. phys. Christ. c. 17. Polan. lib. 1. Syntagm. e. 34. Forst. in Disput. de Angel. th. 74. seqq. Snee. an. l. 1. de Prov. c. 2, 3, 4. seqq.*

ANTITHESES.

I. *Platonici & Avicenna* non à Deo, sed ab alia quadam virtute mundum esse creatum, fabulati sunt teste *Polano d. 6. Aliorum Gentilium* opinionem de mundi Causa Efficiente expressit *Diod. Sic l. 1. Bibl. cap. 1. Hesiodus in Theogon. Steuh. in Cosmog. q. 2. tom. 1. Polyd. Verg. l. 1. de Inv. Rer. c. 2.*

II. *Judei* Angelos intelligunt, cum Deus in plurali loquitur & dicit, *Faciamus hominem. Sebast. Munst. in c. 1. Genes.*

III. *Cerinthus* Platoniorum errorem amplexus fuit, de quo *Cent. 1. Magd. lib. 2. col. 484.*

IV. Ab Angelis & aliis Virtutibus mundum esse creatum, docuit *Valentinus, Basilides, Saturninus, Carpocrates*, de quibus *Irenæus lib. 1. adv. Hæres. cap. 22, 23, 24. & Cent. 2. Mag. cap. 5. col. 76.*

V. *Simoniani & Menandriani* prædictum errorem excolati sunt *Cent. 1. lib. 2. col. 480. 483.*

VI. *Manes* (unde *Manichæi*) deliravit, (1) mundum esse creatum à Diabolo, 2. Duo esse principia, unum Boni, alterum mali, vel duos esse Principes: Unum Tenebrarum, à quo quinque Elementa; Alterum Lucis, qui ex substantia Dei produxit alia quinque Elementa prædictis quinque opposita *Cent. 3. Magd. c. 5. col. 112, 113.*

COSMOLOG. CONTROVERSIA I.

VII. Priscillianista nugati sunt, à maligno Principe mundum esse creaturam *Cent. 4. Magdeb. col. 402.*

HYPOTHESES.

I. Urgendi Adversarii ut suas monstrosas theses S. Scripturæ Dictis vel Consequentis ex S. Scriptura deductis confirmet.

II. Adversarii confundunt 1. Causam boni & causam mali. 2. mundum cujus Deus creator, & Redemptor, cum Mundo, cujus Diabolus Seductor, qui Deus hujus seculi partim gloriae *Matth. 4. v. 9.* partim operatione decipiente *Eph. 2. v. 2. Colos. 1. v. 13. Ephes. 6. v. 12.* 3. mala culpæ & mala pænæ. quæ infligit Deus. 4. Tenebras spirituales, & corporales, quas Deus quod creavit, scriptura asserit. 5. Pluralitatem in Personis divinis, quæ non evertit Creatoris unicam Essentiam, & potentiam.

Quæ III. Estne unus ille Deus, qui creavit Mundum Pater, Filius & Spiritus S.

THESES.

I. Quid Creator Mundi sit Deus Pater, haud eunt inticias, qui Scripturæ S. ut divinitus inspiratæ assurgunt: Quia autem supra adduximus S. Scripturæ theses Opus Creationis & Filio & Spiritui S. vendicantes, confidenter ad quæstionem respondemus affirmando.

II. Quo ordine tres Personæ in Unica Dei Essentia crearent mundum, pie & erudite edisseruit *Basil. M. l. de Sp. S. c. 16.* his verbis: *Principium eorum quæ sunt, unum est, per Filium condens, per Spiritum S. perficiens. Ac nec Pater, qui operatur omnia imperfectam habet operationem, nec Filius in consummatam Creationem nisi à Spiritu perficiatur. Hoc pacto nec Pater opus habebit Filio, scilicet Voluntate creans, attamen vult & solet creare per Filium. Neque Filius egebit auxilio, juxta Patris similitudinem operans, sed & Filius, vult soletque per Spiritum S. perficere.*

III. Hac Confessione *Basilii* non declarat diversam vel inæqualem potentiam in agendo, sed ordinem in Creatione indigitat, ut intelligamus; Patrem esse Creatorem virtute, quam habet à nullo, Filium eadem virtute esse Creatorem, quam habet à Patre per æternam Generationem & Spiritum S. esse Creatorem eadem virtute, quam habet à Patre & Filio.

IV. Verbum $\rho\lambda\alpha\gamma$ in Historia de Creatione *Genes. I.* notat 1. Verbum Externum $\tau\omega\sigma\phi\epsilon\mu\kappa\acute{o}\nu$, quo Deus præcepit & jussit, ut fierent, quæ

quæ facta sunt: quia de præcepto exponitur Pl. XXXIII. 9. Pl. CXLIX. 5. Ef. XLVIII. 13. Roman. IV. 17. 11. Corinth. IV. 16. Hebr. XI. 3. & ipsa Verba *Fiat lux, Fiat Firmamentum* &c. præceptum indicant, quod ab æterno non fuit à Deo prolatum & competit hoc Præceptum Patri, Filio ac Spiritui S. 2. *Verbum internum ἰνδιὰθεου & ἰνωσατιου*, quod est ipse Dei Filius, per quem Deus fecit sæcula. Johann. I. 3. Coloss. I. 16. 17. Hebr. I. 2. Apocal. III. 14. Quando igitur tres Personæ in Deo unum *Verbum mandati* protulerunt, Filius ut secunda ἰνωσατιου operata fuit cum Patre & Spiritu S. eo ordine, quo de th. præced. dictum est. Spiritus, quem incubantem aquis revelat Moyses Genes. I. 2. fuit Persona tertia in S. S. Trinitate, uti interpretatur Pfalter Regius Pl. XXXIII. 6. & Turba veterum Rabinorum, teste Burgenfi. *וּבְרֵחַ הַקֹּדֶשׁ* nulli flatui creato convenit, quia incubando fovere omnes Creaturas, jam aqve mole latentes, non est finitæ sed infinitæ Personæ.

ANTITHESES.

I. Recentiores *Judæi* hodie contradicunt aperte, si asseramus Filium Dei & Spiritum S. unum cum Patre esse Creatorem.

II. Hodierni *Sociniani* præfracte & pervicaciter negant, Filium Dei esse Summum Deum, qui creavit universum, & Spiritum S. subsistere ut Personam à Patre & Filio distinctam. Vide supra Lib. 2.

HYPOTHESES.

In Controv. jam jam indigitata hæ sunt repullæ: Notetur hæc in q. 1. In artic. 1. Symb. Apostol. assignari Patri opus Creationis, quatenus est fons Deitatis, qui potentiam Creatricem habet à seiplo, eamque communicat Filio & Spiritui S.

II. Simpliciter & *ταυτότητα* Essentiæ divinæ compellere Ecclesiam, ut tres Personas in uno veneretur Deo, & in tribus Personis unum Creatorem.

III. Non posse dici *causas socias* Creationis Patrem, Filium & Spiritum S. quia causæ sociæ distinctas uniant vires in agendo vel producendo uno Effectu: In Creatione autem una eademque virtus creatrix à tribus distinctis Personis jam nominatis promanans. Vide *D. Meissn. part. 1. Philos. Sobr. sect. 1. cap. 3. q. 2.*

IV. Nulla movet ratio, ut Filium dicamus in Creatione fuisse *Instrumentum*, quia & veritas adstrui & Errantium mendacia destrui possunt, si maxime hoc non utamur termino: nec in praxi pietatis ullus ejus est usus; Evadent autem multæ rationes ut illum fugiamus: quia

COSMOLOG. CONTROVERSIA I.

1. Scriptura illo non utitur, nec incitat ut utamur, 2. Commodius ὁρθοδοξίαν de Filio Dei Creatore possumus explicare 3. infirmioribus ponit offendiculum 4. Speciem collusionis habet cum Arrianis & Arrianizantibus, non nisi κατὰ χροσικῶς, Filius Patris dici potest Instrumentum: Non enim est Instrumentum *physicum finitum factum & substantiā à Patre distinctum*, sed *Hyperphysicum, infinitum à Patre genitum ab eterno & ejusdem cum eo Essentia.*

V. Aliam esse Vocem qua loquitur Creator, aliam Creatura: *Illā* impropria & Θεωπετικῶς accipienda; *hac* propria. *Illā* Spiritualis; *hac* Corporeæ Naturæ. *Illā* circa τὰ μὲν ὄντα; *Hac* circa τὰ ὄντα duntaxat versatur. Confer Dan. part. 1. phys. Christi. Cap. 34.

Qv. IV. Annon Deus condidit omnes Creaturas; secundum Ideas, ab eterno in mente sua præexistentes?

THESES.

I. **L**egimus in Codice Biblico; Deum præcognovisse opera sua antequam facta Actor. XV. 8. adhuc præscire futura Pl. CXXX X. 16. Omnia agere ex Consilio Voluntatis sua Ephel. I. 1. & creasse mundum per sapientiam intelligentiam ac prudentiam. Pl. CIV. 24. Prov. II. 9. 10. Jer. X. 12. c. LI. 15.

II. Θετικῶς docent hæc Eloquia S. Spiritus; Deum præcognovisse omnia creata, suo in Intellectu, antequam extiterunt actu, & modum agendi in Intelligentibus Creatis, perfectissimum fuisse in Deo Creatore, ut eminenter & excellentissime sua mente formarit Ideas, formas vel Species Entium, antequam eas condidit.

III. Quamvis S. literæ nos non erudiant, quales Idæ extiterint in mente divina, tamen non advertantur iis, qui asserunt, *Mundum esse intelligibilem*, h. e. Philo interpretatur. lib. de Opif. Mundi pag. m. 9. *Deus postquam decrevit visibilem hunc mundum condere, prius formavit simulachrum ejus intelligibile, ut ad ἀσώματος ἔργου Θεωδὲς αὐτὸν ἀσπλάγιστα absolveret corporeum mundum.*

IV. Dicitis Scripturæ de Dei Simplicitate, Infinitate & Perfectione bellum movent, qui tradunt 1. Ideas esse species intelligibiles in Dei intellectu, similes illis, qui sunt in intellectu Creato. 2. Ideas ab ipsa Dei Essentia non solum formaliter, sed etiam realiter esse distinctas. 3. Creatum aliquod Exemplar alicujus rei Creatæ extitisse, antequam mundum creatum. 4. Deum Opificem dependisse ab Ideis. 5. Essentiam divinam

vinam, quatenus à Creaturis participabilis, habere rationem Ideæ.

V. Ut scrupulose inquiratur, quæ & quales sint Ideæ in mente divina, non censemus operæ precium, quia 1. Spiritus S. de Idearum, Quiditate & formali ratione tacuit. 2. non juvat Ecclesiæ ædificationem disputatio Scholasticorum de Ideis; Fidem non excitat, Errores de Fidei articulo non profligat, mores non emendat, afflictis nullum solatium parat, nec ad sanctum DEi cultum invitat. 3. fallibiles sunt mentis nostræ Diturfus, qui conferunt Opificem Omnipotentem, cum Opificæ mechanico, Intellectum divinum cum Humano. 4. illi qui explicare attentant: *An Idea sit Conceptus formalis vel objectivus? An divinus Intellectus determinetur per Ideam? An Idea sit ipsa Essentia divina?* &c. mirabiles in gyros se convertunt, uti liquet legenti Scholasticos in *l. 1. sentent. dist. 35.* Plura de Ideis annotavit *Zanch. l. 2. de Nat. DEi. Cap. 2. q. 3. Polanus lib. 5. Syntagm. Theol. D. Lutkeman. in Exercit. Acad. de mundo intelligib.*

ANTITHESES.

I. Plato excogitavit mundum intelligibilem, in quo Genii & Animæ, quibus omnium creandarum Ideas contemplandas Creator exhibuit, in *pbadr. p. m. 344.*

II. *Pbilo* d. l. Confert Deum Architecto, qui prius formas Urbis vel Domus concipit, antequam ipsam urbem vel domum ædificat. Favet Philoni *August. lib. 83. Qq. q. 46.*

III. *Scholastici* maxime sudant in enodandis variis Qq. de Ideis motas. Vide eos d. l.

HYPOTHESES.

I. Non statim actio Imperfectionis arguenda, quæ per Ideam determinatur & dirigitur, nisi modo aliquo dirigatur & determinetur, qui imperfectionem involvit: Deus non colligit Ideas ex rebus Creatis, ut artifices in hoc sæculo, sed omnes rerum Veritates in seipso continet. ad quas dum respicit, non determinatur ejus actio ab extrinseco objecto, quod imperfectionis est; sed à Veritate, quam habet in seipso, quod est Perfectissime agentis.

II. Quod secundum *existentiam* est res producenda, id ipsum potest opificem dirigere ejusque operationem determinare, ut res *præconcepia* vel *præcognita*: Hinc Idea est causa rerum productarum ut causa *finalis* & *Exemplaris*, quæ movet Efficientem; non autem, est causa *Efficiens*, quia hæc non movet ad efficiendum, sed *Existentiam* realem producit. Sic etiam Idea est *forma realis*, quatenus veram habet quidditatem

COSMOLOG. CONTROVERSIA I.

tatem in Intellectu divino, non autem est forma *actualiter existens extra intellectum.*

III. Objectum divinæ Cognitionis duplex est; *Directum & Indirectum: Illud* est omnis essentia, sive producta sive producibilis: *Hoc* Essentiæ adhæret, vel per modum Privationis, ut *peccatum*, vel per modum adjuncti ut *Ems rationis*: Non itaque omnis notitia in DEO habet rationem *Ideæ*, sed ea, quæ terminatur in Essentia finita & objecto producibili, ad quod referuntur ea, quæ in hærent.

IV. *Quomodo Deus Ideas concipiat, antequam res efficiat? & quomodo Ideas ab ipsa Essentia differant? Quot existant in DEO Ideas, &c.* malumus ignorare, quam cum periculo indagare, ne eveniat nobis, quod illis, qui utrumque Crus in limo habent impactum, & alterum eo fortius ac profundius defigunt, quo enixius alterutro se expidire conantur *Scalig. Exer. 307. sect. 28.*

Qv. V. *Fuitne DEUS in Creatione agens liberrimum?*

THESES.

I. **L**iberrimum agens contradistinguitur *Agenti ex necessitate Naturæ*, quod solo Naturæ impetu in rem fertur, ut quando Ignis sibi admotas stipulas comburit.

II. Esse Deum agens liberrimum supra *Libr. 2.* innotuit: *Quod mundum ex libera Voluntate, non Naturæ necessitate condiderit, Doctores Θεόπνευστοι* his profitentur Enunciatis: *Omnia quæcunque voluit Deus fecit in celo & in terra, Ps CXXXV. 6. Juxta Voluntatem suam facit tam in Virtutibus cali quam in Habitatibus terra. Dan. IV. 32. 33. Deus omnia operatur κατὰ τὴν βελὴν τῆ θελήματ^ε αὐτῆ. Ephes. I. II. Dominus Creavit omnia, & διὰ τὸ θέλημα αὐτῆ εἰσὶ καὶ ἐπιδοθεῖν. Apoc. IV. II.*

ANTITHESES.

D. Jac. Mart. Cent. IV. Qq. illustr. d. sp. 3. q. 4. refert, quosdam Contendisse; Deum quidem ut intelligentem & volentem creasse mundum, non autem Creationem vel inhibere vel suspendere potuisse, quia non agit contingenter vel mutabiliter, & actio Dei interna est, Velle seipsum communicare & alia extra se producere.

HYPOTHESES.

I. Deus nec contingenter nec necessario creavit mundum, sed ratione quadam inter necessitatem & contingentiam intermedia, hæc ex libero arbitrio, quod ex necessitate *constantiam*, ex contingentia *possi-*

possibilitatem haurit, ut Deus possit non agere, quando agit in Operibus ad extra, nec tamen in Voluntate vel potentia, quatenus *κατ' εσω* considerantur, ullam sentit mutationem.

II: Est quidem Deus per naturam ita perfectus, ut velit alia extra se perficere, & seipsum ut summum Bonum aliis communicare; Verum hæc perfectio intrinseca in Deo non tollit Liberum arbitrium, sed liberrimæ Dei Voluntati æque ut alia Dei Attributa in Exercitio & actu secundo conformatur. Sicuti enim per Naturam vivificus est Deus, & tamen suscitatur mortuos quando vult, ita per Naturam propendet ad perficiendum quid extra se, & tamen actu perficit, quando vult. Confer Colleg. Conimbr. in 8. Physic. c. 2. q. 5.

CAP. II.

DE CREATIONE.

Vox *Creare* & *Creatio* evolvitur à Theologis quando indicatur 1. *ἰσχυριῶν*, de qua Flac. in Claves & Polan. l. 5. syntagm. cap. 2. 2. *συνομιῶν*, de qua Chemnit. part. 1. L. C. p. 115. Swar. in Metaph. disp. 20. sect. 5. 6. Schiebl. 2. Metaph. c. 3. n. 618. 3. *συγγεῖναι*,

qua attingit voces *facere* & *ingere*: Distinguunt enim Theologi inter *κτίσις*, quæ à Virtute Creatrice; *ἠὲ ἐν*, quæ à Virtute inhærente; & *ποίησις*, quæ ab arte proficiscitur. Non animadvertimus de his irreconciliabile dissidium, nec alia de Creatione, quæ Dei actio, controversa sunt. Idcirco duabus tantum de Qq. quarum una de *propria Ratione*, altera de *Ordine Creationis* agit, disquirendum.

Qv. I. *Estne Creatio proprie sic dicta Productio ex Nihilo?*

THESES.

I. **M**Oyses Historiam Creationis ita inchoat, ut non solum *Principium* nominet, sed etiam Entia primum creata designet, sc. *Cælum, terram & abyssum*. Hæc ex nihilo quod producta sint, disertis verbis fatetur Apostolus, *Rom. IV. 17.* & Mater septem Martyrum 2. *Maccab. VII. 28.*

II. Quia vox *ברא* ipsò Spiritu S. Interprete notat Productionem ex NIHILO, prima Dei operatio Creans versata est circa NIHILUM; ut omnia quæ creata sunt, vel *immediate* ex nihilo creata, vel *mediate* ex hujusmodi materia fuerunt producta, quæ evocata ex NIHILO.

C

III. Deo

COSMOLOG. CONTROVERSIA I.

III. Deo ab æterno coexistit: materiam, è qua Omnia creata; Scriptura 1. non docet. 2. negat, quando mundum in tempore cæpisse, affirmat; Vide supra Cap. 1. q. 1. Rationi quomodo hæc materia Deo coæterna repugnet, edocuerunt Theologi & Philosophi. Vide ex illis Hutter. in L. Th. p. 200. Zanch. l. 1. de op. 6. dier. cap. 3. q. 3. Polan. lib. 7. syntagm. cap. 3. Dan. in Phys. Christ. cap. 18 & 21. Morn. de V. Rel. cap. 10. ex bis Taurell. in Trium. Philos. p. 285. Allted. l. 5. Encyclop. part. 1. cap. 17. &c.

IV. Massa informis vel rudis & indigesta, moles, quam Moyses exprimit per תורה וברא Genes. I. 2. non fuit 1. *Materia prima*, quæ subjectum generationis ac Corruptionis physica; cujus mentio fieri nequit in mundi constituendi Descriptione, cum Muadus non genitus, sed creatus. 2. *Confusum Chaos*, quo de fabulantur Hesiodus, Ovidius & alii Poetæ; quia Poetæ quando suum Chaõs describunt, à quo illud vel productum vel elaboratum sit, non indicant; haud obscure autem innuunt, se ereditisse, tale Confusum Chaõs existisse à seipso.

V. Moyses rudem indigestam molem revelat, ut 1. *Substantiam* quia nominat Cælum & Terram 2. ut rudem & informem molem, quæ non disposita, vel ordinata vel evoluta, Voces enim Hebr. תורה וברא designant vacua & desolata loca. Esa. XXXIV. 11. Jerem. IV. 22. Hiob. VI. 19. Deuterom. XXIII. 10. Si attendamus, quomodo Moyses enarrat Opera quæ 6. dierum spatio ex rudi massa efformata, in vers. 1. cap. I. Genes. notatur cælum lumine & stellis non politum, terra aquis immersa & Aqua nullis limitibus septa. 3. ut vastam & ingentem molem, quæ fuit sine fundo, ut indicat vox תהום 4. ut molem tenebris densis involutam, quia fuit in eâ חושך אלה א' μορφος. Sap. XI. 18. τὸ σκότος. 2. Corinth. IV. 6. & τὸ μὴ φαινομενον. Hebr. XI. 3.

VI. Cum neque à priori neque à posteriori intrinsecam Rudis & indigestæ massæ quidditatem vestigare liceat, ingenis humanis mera præhenda, quæ à curiosis Speculationibus non transilienda: Quicquid enim sine scriptura, quæ sola eam patefecit, de ea Concipit mens humana, veritatis è fonte indubie non profluit, Consule D. Meiss. p. 1. Phil. sob. sect. 3. c. 3. q. 2. 3. Dan. parte 1. Phys. Christ. cap. 22. seqq.

ANTITHESES.

I. De Philosophia refert Bonav. in lib. 3. sent. dist. 1. n. 7. quod quidam ex illis muadum ex Dei essentia productum; alii ex principis præexistentibus, materia sc. & forma, factum; alij ut Platonici, ex materia æterna formatum, dicuntur.

II.

DE CREATIONE.

II. *Democritus & Leucippus* somniarunt; ex atomis per inane infinito volitantibus ceu minutissimis corpusculis mundum esse conflatum.

II. *Tertull. lib. adv. Hermogenem* refert, pag. m. 335. noluisse hunc Hæreticum; Deum omnia ex nihilo fecisse, & materiam posuisse, quæ semper fuerit, nec nata, nec facta, nec initium habens nec finem, ex quâ Deus omnia fecerit.

IV. *Iren. lib. 1. c. 1.* de Valentinianis scribit, quod finxerint *ἀσώτως*, è quibus mundus sit compositus.

V. *Manichæi* opinati sunt, Deum non potuisse Creare mundum, nisi in promptu fuisset materia, quæ illum adjuvasset, *Cent. 5. Magdeb. cap. 5. col. 535.*

VI. *Timplerus Calvinianus* ideo negat *cap. 2. Phys. general problem. 9.* mundum esse creatum ex nihilo, quia ex informi materia conditus.

HYPOTHESES.

I. Philosophis antiquis eorumque mancipiis opponenda regula *Augustini*, quæ *lib. 1. de Genes. ad lit. cap. 31.* his profertur verbis: *Quicquid Sapientes hujus mundi in suis Voluminibus contrarium sacris literis docent, sine ulla dubitatione credamus, id falsissimum esse.*

II. Valentinianorum & aliorum prodigiosæ opinioniones nullo scripturæ dicto muniti possunt & propria futilitate se interimunt,

III. Etsi omnia formata, de materia illa informi facta sint, tamen hæc ipsa materia de omnino nihilo est facta, unde rectissime creditur, Deum omnia ex nihilo fecisse, uti iterum monet *August. lib. 1. de Genes. cont. Manich. c. 6.*

IV. Uti Corpus humanum recte dicitur factum ex semine, quod corpus mixtum, & Elementis, ex quibus est Semen: ita nihil absurdi sequitur, si dicamus, mundum quoad certas partes esse creatum ex præexistente materia & Nihilo, ex quo hæc materia initio est producta.

V. Axioma Physicum: *Ex nihilo fit Nihil*; relegetur ad suum territorium, quo non de Creatione, sed generatione, non de virtute infinita, sed finita, non de mundo constituendo, sed constituto disputant non Theologi, sed Philosophi & Physici.

VI. Distinctio inter creationem mediatam & immediatam merito retinetur, modo non negetur. 1. illa certa ratione esse creata ἀπὸ οὐκ ὄντος, quæ creata sunt ἐκ υἱόθεν. 2. omnia esse creata ἀπὸ οὐκ ὄντος ratione tam Causæ Efficientis, quæ non admittit mediam aliam.

COSMOLOG. CONTROVERSIA I.

efficientem, quam primæ operationis & primi producti Entis. Vide Danaum parte I. Phys. Christ. cap. 18. & Meisner d. l.

Qv. II. Num Deus simul uno momento creavit totum mundum?

THESES

I. ET si Deus uno momento omnia simul & semel creare potuisset; tamen Moyses talem Dei voluntatem patefecit, qua primo rudem & indigestam massam effingere, deinceps autem successive per 6. integros dies Mundi hanc machinam omniaque ejus contenta creare voluit.

II. In Scripturis opus Creationis, ut opus ἐξ ἀρχῆς describitur Genes. 2. v. 2. Exod. 20. v. 11. cap. 31, 17.

III. Ipse Deus distinctis operationibus suam Creationem describit, quæ facile possunt colligi ex Proverb. 8. v. 26. seqq. Job. 38. v. 4. seqq. & aliis scripturæ dictis, quæ luculenter docent, non unico actu Deum produxisse omnes Creaturas. Confer Chemnit. parte 1. L. Theol. pag. 120. Gerb. tom. 2. de Creat. §. 21. Hutt. in L. Th. p. 200. Perer. Lib. 1. in Genes. p. 183. Danaum d. l. cap. 37.

ANTITHESES,

I. Deum semel & simul omnia creasse statuit Philo Jud. lib. de Allegor. L. Moys. August. l. 11. de Ci. D. cap. 9. lib. 4. de Gen. ad lit. c. 3). Rupertus, Cajetanus, Bodinus & c.

II. Magdeburg. Cent. 4. c. 10. col. 1143. de Hilario referunt, quod opinatus sit, omnia Creationis opera simul & semel, sine intervallis aut ordine operum, aliorum post alia creatorum, extitisse: Verum Hilari verba lib. 12. de Trinit. si aliquanto pensulatus examinentur, non tam de exteriori mundi productione, quam de interiori Dei Visione, qua omnia simul prævidit & consilio suo præparavit, commode explari possunt.

HYPOTHESES.

I. Quod Genes. 2. v. 4. vox dies vel collectivè pro diebus vel etiam de Creatione in ultimo suo complemento, qualis sexta die extitit, sit accipienda, & alia scripturæ dicta, quæ 6. dies expresse nominant & præcedens cap. 1. solide probant: Præterea vox Hebræa ימים sæpissime notat tempus, aliquot dierum spatium comprehensum, Esa. 30. v. 25. cap. 110. v. 3. cap. 2. v. 17. & 20.

II. Qvæ

II. Quæ in Syracæ cap. 18. v. 1. leguntur verba, quia ex li ro Apocrypho sunt, adamus scriptorum Canonicorum sunt revocanda, ut vox *κων* non cum verbo *ε' κτισεν*, sed cum proxime præcedenti adjectivo *πρωτη* construatur: quod cum sit, textus optime ita cohæret: Vivens in æternum creavit omnia communiter sc. ea quæ non vivunt ab æterno, quæcunque etiam illa sint, omnia hæc ab eo creata, qui vivit in æternum.

III. Job 40. v. 30. non tam unum Creationis tempus, quam una Creationis Efficiens causa intelligitur, ut sit sensus: Behemoth æque creavi atque te ipsum creavi. Quod si per Behemoth animalia terrestria intelligas, etiam unum tempus potest concedi, quia 6. die & animalia terrestria creata, & homo conditus.

IV. Mundus consideratur vel in partibus Confusus, vel distinctus: Secundum illas non Secundum has quod creatus fit simul & in momento, negari vix potest: Est enim Moyses non asserit, rudem, & indigestam molem, quam Cæli, Terræ abyssi & Tenebrarum vocibus depingit, simul creatam esse, tamen cum hæc omnia conjungat & in principio creata, dicat, haud obscure indicat, hæctenus dictam massam simul & semel fuisse à Deo productam.

V. Cur Deo placuit 6. dierum intervallo condere mundum non debet perquirere humana temeritas, acquiescendum in Dei voluntate, quæ semper optima & sapientissima. Confer *Becan, in Theol. Scholast. tract. 4. part. 1. cap. 1.*

CAP. III. DE CREATO MUNDO.

AD sani judicii trutinam qui appendit *συζητησας* de Mundo, non animadvertit adeo multas, quæ Theologica possint tovere Certamina. Quo Anni tempor. sit creatus mundus? exacte & apodictice forsitan nemo hæctenus demonstravit, nec opinionem quandam Fidei salvificæ & sinceræ pietati adversam credimus, sive quis Vere, sive Autumno, sive alio anni tempora mundum creatum, quis crediderit. Vide sis *Polan l. 5. syntagm. cap. 7. Calvin. proem. in Chronol. cap. 34. D. Behm. in Chronol. Manud lib. 1. tit. 1. c. 1. Alsted. lib. 32. Encyclop. c. 11. p. 1024. Theologo dignum est responsum D. Brochmanti Artic. de Creat. 9. 2. quod tale est: In sententiarum varietate malo*

COSMOLOG. CONTROVERSIAL

ἄπειρον, quam aliquid temere definire; sequutus hac in parte
 Scripturam, quæ nihil aliud tradit de tempore, quo conditus est
 mundus quam hoc: In principio creavit Deus. *Quot præcise Anni*
à Mundo Condito effluerint? Chronologicis inquirimus indagandum,
 cum Error de hac quæst. nec Fidei nec pietati nec cultui divino ullam
 afferat perniciem. *Mundum esse animatum, Deum esse mundi locum, &*
omnes creaturas in mundo esse Umbras vel inania spectra, nemo amplius
 defendit, ut operæ faceremus dispendium, si disputaremus absque
 Adversario. Vide *Jac. Mart. l. 2. de Loco cap. 33. Meissn p. 1. Pbil. sobr.*
sect. 3. cap. 3. q. 5. Esse in Mundo antipodes vel ἀντιπόδας,
 quidam ex Patribus absonum à Veritate crediderunt, cum primis
August. l. 10. de C. DEI cap. 9. & Lactant. lib. 3. Instit. cap. 24. Hinc
 Virgilius Episcopus Salisburg. à Bonifacio Episcopo Moguntino
 Anno Christi 745. hæc eos accusatus, & à Pontif. Rom. Zacharia in
 Exilium ejectus, quia docuit, esse Antipodes. Horum imperitia quia
 Navigationibus Lusitanorum, Anglorum, Belgarum & aliorum in
 apicum est protracta, non reperiuntur, qui ad pugnam nos provocent.
 Vide *Zanch. de op. 6. dist. parte 2. lib. 5. cap. 1. q. 3. Alsted. lib. 18. Encyclop. c. 7.*
Unum esse mundum, ejusque figuram esse sphericam & rotundam, hinc
 argum. ntis evincunt Physici & Geographi, nec est, inter Theologos,
 qui contradicit, quantum nos valuimus explicari. *De Luce primogenita*
de Aquâ supra caelestibus, de materia celi, de Creatione Aeris & Ignis, de
Motu terra, de Creatione plantarum, Volatilium, Piscium & animalium
 diversæ sunt sententiæ eorum, qui commentati sunt in Cap. 1. Genes. vel
 Hexaemerum. Sed si vel maxime in his non omnes Ecclesiæ Dd.
 consentiant, Vinculum Fidei non rumpitur, cum semper in Ecclesia
 toleratæ sunt dissentientes de his opiniones, quæ ab Eruditis in
 scholis sunt ventilatæ, & damnata quidem temper est *Φευδεσμονεία*
 sacrarum literarum, non tamen hæresis fundamento Fidei intesta.
 aberrantibus interpretibus adjudicata. Vide D. Hutter. in *Loc. Theo-*
log. 3. q. 8. seqq. Philosophorum διακρίσεις de Stellis Elementis
Mari, Fuminibus, Fontibus, Meteoris, Metallis, Plantis, Avibus,
Piscibus, Bestiis, Insectis &c. quod hæreses veræ Fidei bellum indi-
 centes invexerint, compertum non habemus; Proinde ad Scholas
 Philosophorum eas dimittimus, grato animo annuentes, ex his sobrie
 discussis perutile Theologiæ Practicæ, quæ textus Bibliici explicandi &
 applicandi, accedere ministerium. *Scholasticorum urbx quæ scruta-*
tur;

tur; an Deus meliorem possit facere mundum atque fecit? An unus Deus multa creavit? Utrum distinctio debeat esse in mundo Corporalium ac Spiritualium &c. reponimus hoc Scaligeri pronunciatum: Ex hac tua lanâ tam affectate horrida nihil nisi lvepres depecti possunt. Exercit. 61. sect. 1. Supermanent duntaxat duæ quæstiones excutiendæ, quarum hæc est prima.

QV. I. Annon omnia quæ creata sunt, fuerunt valde Bona?
THESES.

I. **E**xpressis verbis respondet affirmando ipse Moytes, hanc offerens thesin: Vidit Deus omnia, quæ fecerat, & erant valde Bona Genes. I. 31. Specialibus operibus Dei simile connectitur Encosmum 7. 4. 10. 12. 18. 22. 25.

II. Repetit Moytis thesin Apostolus Paulus, cum inquit. *Timoth. 4. v. 4.* πάν κτισμα θεῶ καλόν καὶ εὖ ἐδὲν ἀπὸ βλητον. Confer etiam Syrac. 18. v. 1.

III. In aliis Dicitis opera Dei deprædicantur מִמַּחֲלֵי vel perfecta *Dent. 32. v. 4.* *Eccles. 3. v. 14.* *Syrac. 43. v. 26.* Sapienter disposita *Pf. 104. v. 24.* *Prov. 3. 19, 20.* *Jerem. 10. v. 12. cap. 51. 15.* *Sap. 14. 5.* laude dignissima *Pf. 111. v. 2, 3.* *Pf. 92. v. 6.* *Syrac. 43. v. 15, 17.* utilissima *Syrac. 40. v. 21, 26, 28, 39, 40. cap. 43. v. 26.* *Sap. 14. 5. cap. 11. v. 21.* vera & justa *Pf. 111. v. 7.* *Dan. 3. 27. cap. 4. v. 34.* nec non suavissima *Syrac. 40. v. 23. cap. 43. v. 23.*

IV. Amore Deus prosequitur suas creaturas. *Pf. 104. v. 31.* *Pf. 145. v. 9.* *Sap. 11. v. 24.* *Syrac. 18. v. 12.* quia 1. illorum *Natura bona, integra &* in suo genere perfecta. 2. mirabilis eorum *pulchritudo*, quam species decora, conveniens ordo, ratio & proportio manifestat. 3. eorum summa & exoptatissima humano generi est *utilitas.*

ANTITHESES.

I. Marcion blasphemæ totam naturam, ut malam damnavit, teste *Clemente Alexan. lib. 3 & 4. Stromat.*

II. Priscillianistæ stellas peccato infectas esse tradiderunt, teste *August. lib. ad oros. de Priscill. cap. 9.* Superfuit adhuc horum furor in 7. seculo, quo damnata legitur illa blasphemia, quæ negavit Diabolum bonum fuisse creatum, & asseruit, hunc malum spiritum à seipso exivisse, multasque malas creaturas confinxisse. Vide *Cent. 7. Magdeb. cap. 5. col. 133.*

HYPOTHESES

I. *Mundus à Deo creatus*, licet quoad *essentiam* idem sit, cum

COSMOLOG. CONTROVERSIA I.

cum mundo per peccatum *corrupto*, non tamen in *accidentibus* & *qualitatibus* Natura *instituta* convēdit cum natura per peccatum *deformata*: uti aperte colligitur ex *Genes. 3. v. 18. cap. 4. v. 12. Jerem. 4. v. 24, 25. Rom. 8. v. 20.* Proinde dicta, quæ de Mundo *creato vel instituto* loquuntur, non sunt confundenda cum illis, quæ describunt mundum *corruptum* & primæva sua gloria multis in partibus *d. stitutum*.

II. Distinguenta est *Bonitas Creatoris à bonitate Creaturarum*: illa independens, hæc dependens; illa in causa: hæc in Effectu: illa infinita & summa: hæc finita & determinata: Si itaque Creaturæ in Comparatione cum Creatore dicuntur vel immundæ, uti de cælis legitur *Hiob. 14. v. 15.* vel imperfectæ, *συνκρίπκως* dicta, non sunt accipienda, ac si essent dicta *ἀπὸ λῶε*.

III. Noxiæ Herbæ & plantæ una cum animalibus homini infensis, ante peccatum, vel plane non existerunt, vel quod magis verisimile sit, extiterunt & homini nihil nocere potuerunt: Uti enim jam multa homini obsunt & adversantur propter peccatum, quæ ante lapsum ad hominis salutem & utilitatem sese accommodabant, ita iusto Dei iudicio hodie plantæ & animalia vitam, sanitatem & possessiones hominis offendunt, quæ per se erant apta nata vel condita ad summum hominis emolumentum.

IV. Sufficit, ut sciamus, Creaturas propter peccatum homini nocere cæpisse, quomodo autem qualitates noxias attraxerint, quas in Creatione non habuerunt scrupulose non est indagandum: Homini natura cum per peccatum adeo horribiliter sit destructa, mirum non est, in aliis creaturis aliquam grandem mutationem fuisse subortam. Microcosmus enim est Macrocosmi quasi cellula, adeoque *bujus* inclinatio *illius* ruinâ facile provocatur.

V. Contrarietas & Vicissitudo in Creaturis potissimum triplex: Prima est *naturalis*, qualis est in Elementis, vere, autumno, ætate, hyeme, die, & nocte, Tenebris & luce &c. Secunda est *illegalis*, qualis in Angelis & hominibus qui peccato contaminati. Tertia denique est *judicialis*, qualis in Creaturis Homini ob peccatum inimicis. Prima à Deo Creaturis concreata, nullamque vel *αταξίαν* vel malitiam includit. Secunda & tertia per peccatum est introducta.

VI. Num totus mundus fuisset interiturus, si homo non peccasset? frustra quæritur, quæ in scripturis de hoc interitu nihil patet actum legitur. Confer *Dana. d. 1. cap. 41. 42. seqq.* & *Zanch. lib. 1. de op. & dic. cap. 3. q. 4.* Qv. II.

Qv. II. Num astra à DEO condita, ut futuri Eventus ex illis pranunciarentur?

THESES.

I. Astrorum usum, quæm Deus in eorum Creatione intendit, triplicem expressit Moyses, cum hæc Dei recitavit Eloquia: *Fiant luminaria in firmamento Cali, & dividant diem ac noctem, & sint in Signa, tempora, dies & annos, ut luceant in Firmamento Cali & illuminent terram* Genes. I. 4. 15.

II. Astra igitur Deus condidit, ut 1. Tempora distinguant, 2. Signa præcipue exhibeant & 3. Terram illuminent.

III. De Secundo usu orta est quæstio, cujus Diædum distinguendo absolvunt Theologi: Afferunt enim, Astra esse Signa I. *Physica*, quæ prælagiunt mutationes Aeris ac Tempestatis, pluvias, Ventos frigus, æstum, siccitatem, serenitatem, tonitrua, fulgura &c. Hæc quod ex astris eorumque motu & concursu Astronomi cognoscere queant, docet cum Christo *Matth. XVI. 2. Luc. XII. 5. 56.* *Experientia. 2. Medica*, quæ de *æpores* in Corpore humano, morbis & humorum alteratione observant Medici. 3. *Oeconomica*, quæ indicant tempus cædendis lignis aptum, tempus seminis, messis, Vindemiæ &c. 4. *Nautica*, e quibus agnoscitur, quando naves subducendæ vel impellendæ, quando vela vel pandenda vel contrahenda &c.

IV. Signa jam exposita interdum fallunt, uti iridem testatur *Experientia*, quia 1. non omnes stellæ Astronomis cognitæ 2. de influxu stellarum imperfectam scientiam assequimur. 3. inferioris mundi Natura, diversus terrarum situs, constitutio aeris & alia non permittunt, ut universales de influxu stellarum in hæc inferiora formemus *Regulas*. 4. Ipse Deus haud raro inhibet Causarum secundarum motus, ut sæpe prædictiones & præfagia est astris fallant.

V. Signa Extraordinaria & miraculosa Deus quod in Cælo & stellis dederit, passim legimus in Bibliis *Genes. XV. 1. Jos. X. 12. 13. Judic. V 20. 2. Reg. XX. 11. Matth. XXV. 11. 45. &c.* Talia etiam fore ante mundi finem prædixit *Salvator Matth. XXIV. 29. Luc. XXI. 25.*

VI. Iram suam Deus mittatur iis, qui ex Astris prædicere attentant, quæ à Dei liberrima Gubernatione, ac libera Hominum Voluntate dependent: Prioris generis sunt Imperiorum periodi, Hominum Conjugia, prospera, adversa & ultima fata. Posteriores ad classem spectant Hominum mores, studia, Consilia, &c. Horum præscientiam ut sibi solivendicat Deus *Esai. XLII. 21. XLIV. 24.* ita thesibus comminatoriis & prohibentibus adversatur *מעון Planetariu*, qui horas & dies supputant;

COSMOLOG. CONTROVERSIA I.

tant; Deut. XVIII. 10. 11. *Varibus celi*, qui contemplantur sydera, & designant menses ut ex eis annuncient ventura Homini-
bus *Esa. XLVII. 13. timentibus à signis celi.* Jerem. X. 2. Vide *Luth. tom. 6. Witt. lat. fol. 7. 10. tom. 3. Iben. germ. p. 441. Hutter. in Loc. Theol. p. 214. Baluain. in Castib. Consc. lib. 3. cap. 6. Casiz. § 3. D. Rung. in Genes. p. 55. Zanch. part. 2. de Op. 6. Dier. 6. p. 571. Perer. l. 2. in Genes. c. 1.*

ANTITHESES.

I. De Origene refert Euseb. l. 6. de preparat. Evang. cap. 9. quod docuerit, stellas à Deo positas, ut per varios aspectus & Conjunctiones significarent uniuersas & singulas humanarum rerum causas, non tamen officerent.

II. Vitam & miracula Christi subiecit Stella, quæ Magis apparuit, *Albertus M. in speculo & Petrus de Aliaco in Concord. Astrol. & Theol. nec non 930. in Genes. Vide Sixt. Senens. l. 6. Biblioth. S. annot. 9. p. 425.*

III. Nostro sæculo quidam desleclunt ad ὀνειδος, & qualvis prædictiones Astrologorum admirantur, sumptu magno easdem venantur, & ceu diuina Oracula, quæ fallere nequeunt, venerantur. Alii deficiunt in ἄλλοψυα & omnem prædictionem ex Astris execrantur, artem æque ac artifices carpunt, abusum ab usu non distinguentes.

HYPOTHESES.

I. Qui Astrologiam Iudiciariam præter modum euehunt, experientia Stultorum Magistra non tam informantur, quam infatuantur. Quomodo hoc fiat? accurate & fule monstravit Sixt. Senens. dd. p. 427. Quatuor enim recensuit causas, quæ interdum prædictis Eventum contoruant: *Primam* vocat Sortem vel occultum Dei Iudicium, quo superstitioni consulentes placentur, cum vati ea suggeruntur, quæ consulentes oportet audire. *Secunda* causa est Sixto Fœdus quorundam Astrologorum cum Diabolo. *Tercia* moralis Prudentia, qua multi pollent, qui ex aliorum temperamentis, inclinationibus, virtutibus, vitiis, studiis, occasionibus &c. prævident, quænam vel prospera vel aduersa propinquent. *Quarta* denique *Causa* constituitur à Sixto *Consulentiura Stultitia*, qui facile credunt, quæ ipsi vel prosequuntur vel fugiunt: Hinc vel Spes excitat alacritatem ad impetrandam, quam sperarunt, felicitatem; vel metus animum deprimit, ut in calamitatem prædictam irruant.

II. De Stella, quæ Magis Christum natum quærentibus præluxit, hæc Augustini verba tenenda: *Non illa Stella Christum fecit mirabiliter vivere, sed illam Christus fecit mirabiliter apparere, nec ipsa mirabilia Christi decreuit, sed ipsam Christus inter sua mirabilia demonstravit.* Act. m. 34. de temp. 11.

III. Vis cæli universalis & indeterminata per causas particulares ad certos Effectus determinatur, unde omnia, quæ prædicuntur ab Astrologis, probabilem & contingentem solummodo habent Veritatem. Cæci autem sunt, & abominandi, ut Cassiodorus loquitur, qui se existimant prævidere, quæ Creator nobis utiliter decrevit abscondere.

IV. Prædictiones Genethliacas non damnamus, si 1. suis in terminis se contineant 2. ad temperamentum, à quo non exigua vis descendit ad actiones & mores, restringantur 3. verisimiles vel probabiles, non infallibiles æstimentur. 4. ut lusus Ingeniorum permittantur, censente *Luth. in c. 1. Genesis*, ab omni superstitione Gentilium purgentur. Summa

Usus habet laudem, crimen abusus habet.

CONTROVERSIA II.

DE MUNDI GUBERNATIONE.

DEvotus Pater *Bernhardus* Dei Providentiam, quæ circa Conditas veritatur Creaturas eleganter depingit, cum ita scribit: *Deus amat, ut Charitas, movit, ut Veritas, sedet, ut æquitas, dominatur ut majestas, regit, ut principium, tuetur ut salus, operatur ut Virtus, revelat ut Lex, assistit ut pietas.* lib. 5. de Considerat. col. m. 1045. Hos divinæ Providentiæ actus quos *Bernhardi* Meditatio pia multiplicat, recentiores Theologi, ordinis ac memoriæ causa contraxerunt, & tribus actibus Dei Providentiam enarrarunt, quorum primus est *πρόγνωσις* s. Præcognitio: Secundus *προβουλή* Voluntas & cura prospiciendi; tertius *διοίκησις* s. ipsa mundi Gubernatio. Quæ de his scripta extant in sacris literis cæcutiens Hominum Ratio, instinctu Sathanæ, Speculationum, ac Opinionum machinis concussit, ut fundamentum tam veræ Fidei, quam Sancti Cultus Dei violentam impressionem senferit. Cum primis periculosa sunt mora Certamina de Providentiæ objectis, in quibus cognoscendis, sustentandis, ac gubernandis Deus eo operatur modo, qui imperscrutabilis & incomprehensibilis est. Idcirco à Fidei simplicitate ad Rationis discursus nimium deflectentes Errorum in præcipitia deducti sunt. His adhuc multi se aggregant, qui Ecclesiæ Orthodoxæ obloquuntur in pronuntiatis de 1. Providentiæ, quæ regit in genere Deus totum Universum. 2. Præscientiæ, quæ Deus contuetur Futura. 3. Peccatis & vitiosis actibus, à Dei Providentiæ non eximendū. His in capitibus continemur sequentes *διαρρηξίαι*.

CAP. I.

DE PROVIDENTIA QVA IN GENERE REGIT
DEUS TOTUM UNIVERSUM.

Quando diversos divinæ Providentiæ actus Theologi
co. situunt, quemadmodum paulo ante dictum (vide
*Ghemnit. parte 1. Loc. Th. de Creat. cap. 6. Hutter. in
L. Theolog. pag. 231. Gerh. tom. 2. L. de Provid. S. 15.*)
consensus est, Providentiam Dei, non solum intra ipsam
DEI Essentiam consistere, sed progredi & extendere se ad Crea-
turas. Perspicuis verbis hoc tradunt Sacra literæ, in dictis de DEO
presciente, sustentante, gubernante, salvante &c. Eundem Deum qui
mundum creavit, & eundem gubernare ac conservare non facile quis
negat, quod autem Deus Mundi Creator, sit unus Deus in tribus Personis
Pater Filius & Spiritus S. jam supra ex S. Scriptura aperuimus.
Quemadmodum igitur Pater per Filium in Spiritu S. mundum condi-
dit, ita eundem idem Pater per Filium in Spiritu S. conservat. Humana
Christi Natura quomodo concurrat ad Providentiam, discitur ex
questione illa de Christi Omnipresentia *Quomodo differat Creatio à
Conservatione?* Operose, ut Scholasticorum more, inquiramus, nec fidei
nec pietatis deposcit incrementum. Consona agnoscitur Fidei analogiæ
hæc Scaligeri *enigmis: Esse & Conservari acceptum fertur ei-
dem auctori eidemque principio: Nihil enim est, ut supra
dicebamus, conservatio, quam Essendi continuatio.* Exercit. 31. &
Exercit. 250. Sect. 1. Conter Gerh. L. de Provid. S. 62. Schiebl. l. 2.
*Metaph. cap. 3. n. 680. Alsted. lib. 22. Encyclop. parte 1. cap. 5. pag.
639. l. 13. par. 8. cap. 1. pag. 782.* Philosophos ex lege Naturæ inscriptâ et-
iam sobrio usu suæ Rationis agnovisse Dei Providentiam, ita est
demonstratum, ut lucem in meridie negare videatur, qui illud neget.
*Philipp. L. de Creat. ejusque Interpretes D. Hutterus L. de Provid. q. 1.
p. 218.* argumenta Philosophica reducant ad 1. *Orainem Effectuum in
natura perpetuum.* 2. *Nobilitatem Intellectus Humani* 3. *Discrimen
Honestorum & turpium* 4. *Notitias naturales* 5. *Con-
scientiæ terrores in sceleratis.* 6. *societatis Politica Conserva-
tionem.* 7. *Causarum Efficientium seriem* 8. *omnium rerum
utilissimos fines.* 9. *Futurorum Eventuum. presagia.* Addatur
Mi-

DE PROVIDENTIA.

Milich, *Comm. in Plin. lib. de mundo p. 22. Morn. de V. Relig. cap. 11. 12. 13. Suetonius l. 1. de Prov. cap. 11. 12. lib. 2. 3. 4. 5. Suarez. disp. 22. Metaph. sect. 2. Hunn. tom. 1 op. p. 702. Jac. Mart. l. 1. Partit. Metaph. sect. 11. q. 5. Im Bernunfft. Sp. lib. 1. cap. 74. I. Lips. lib. 2. de Constant. cap. 12. 13. P. Mart. l. 1. L. Clasi. cap. 13. Gerhard. tom. 2. L. de Provid. S. 4. seqq.*

Si doceatur, argumenta Philosophica cedere Theologicis quæ probant DEi Providentiam, nemo cum specie Veritatis salium Dogma poterit objicere : Siquidem apprime certum est, ex Philosophiâ & principiis ejus non posse ostendi 1. Gubernationem mundi esse actum DEi, qui in una Essentia Pater Filius & Spiritus S. 2. quomodo convincatur afflictâ Conscientiâ de DEi Providentiâ in tentatione, qua omnes vel Stoici vel Epicurai sumus, cogitantes de Providentiâ, uti bene monuit Chemnit. par. 1. Loc. pag. 129. 3. quomodo Providentiâ DEi non tollat omnem Contingentiam? & 4. quibus actibus Deus versatus sit circa lapsum primi Hominis, & qualis DEi Providentiâ circa actiones vitiosas, quæ vel sunt, vel factæ vel futurae. Ad Conflictum in Capite præsentî provocant Theologos inevitabilem. 1. Negantes, quod Deus totum mundum gubernet. 2. Depravantes concursum DEi generalem cum causis secundis. 3. alligantes Deum ut causam primam causis secundis.

QV. I. Annon omnia, quæ sunt, moventur & vivunt, subjacent divine Providentiâ?

THESES.

I. **B.** Lutherus certo & singulari tractatu ad præsentem quæstionem non respondit, sed passim affirmavit, Deum conservare & gubernare omnes Creaturas. tom. 4. *lib. germ. fol. 223. tom. 5. fol. 489.*

II. Philippus in L. Conjungit artic. de Providentiâ cum artic. de Creatione, & probat multis argumentis, Deum adesse omnibus suis Creaturis, easque sustentare, conservare ac gubernare. Consentit *Brom. inc. 10. L. 1. Sam. tom. 2. op. pag. 408.*

III. Chemnit. d. l. p. 124. probat DEi Providentiâ ex phrasibus Bibliicis, quæ sunt *Ordinatio. Ps. 119. v. 91. portare. Hebr. 1. v. 3. σὺν ἡμῶν Colos. 1. 17. Salvator 1. Timoth. IV. 10. conservatio Sap. XI. 26. omnia dicuntur cap. XII. 8. διακονεῖν cap. XIV. 3. De his & alijs vocibus,*

COSMOLOG. CONTROVERSA II.

quæ spectant ad Theolog. Gatech. non temere rixas movendas, cum Chemistio credimus. Conter *D. Balduin. l. 2. de Cas. Consc. cap. 4. cas. 6. Pet. Mart. par. 1. L. Class. c. 13. p. 92.*

IV. Scriptura subjicit divinæ Providentiæ 1. *omnes Creaturas* Colof. 1. 17 Hebr. 1.3. Sap. XI. 26. cap. XII 13. c. XIV. 3 Syr. XVI. v. 28. (2.) *Angelos bonos & malos.* Ps. CIII. 20. Pf. CIV. 4. Hiob. I. & II. 2. Per. II. 4. (3.) *Omnes Homines.* Job. XII. 10. cap. XXXIV. 21. Prov. XVI. 2. 9. cap. XX. 24. Esa. XLII 5. Jerem. X. 23. Act. XVII. 24. (4.) *Hominum Conceptionem & Nativitatem* Job. X. 8 seqq. Pf. LXXI. 6. Pf. CXXXIX. 13. 16. Pf. CXIII. 9. P. CXIX. 73. Esa. XLI. v. 4. (5.) *Hominum Vitam & amicum.* Job. XXI. 18. 1. Timoth. VI. 17. Matth. VI. 25. seqq. Genes. XXVIII. 21. (6.) *Habitacula Hominum* Esa. XLV. 18 Act. XVII. 26. (7) *Cursum humanæ vite.* Deut. XXX. 20. Pf. LVI 9. Pf. CXXXIX. 2. 3. Prov. XXI. 2. (8.) *Reparationem Hominum ad vitam æternam, hominum Conjugia, calamitates, actiones bonas & malas, officia, mortem & Resurrectionem,* uti docetur in *Αὐθροπολα* sacra. (9) *Spiritus incompletos,* qui informant corpora humana, ut elucebit tuo loco. (10.) *Corpora & luminaria ætherea* Job. XXXVIII. 31. Pf. XIX. 5. Jerem. XXXI. 35. Matth. V. 45. (11.) *Elementa eorumque qualitates,* ut *Ignem* Pf. LXXXVIII 4. 1. Reg. XVIII. 38. *Aquam* Pf. LXXIV. 15. Pf. XXIX. 3. *Æræ* Deut. XXVIII. 22. 1. Reg. II. 37. & *terram* Pf. CXIX. 90. Sirac. XLIV. 24. (12.) *Corpora imperfectè mixta vel potewpa* Job. XXXVIII. 22. seqq. (13) *Corpora perfectè mixta,* quæ vel inanimata ut *Metalla & lapides* Job. XXVIII. 1. Hag. II. 9. vel vegetabilia ut *Plantæ* Pf. CIV. 14. 15. 16. Matth. VI. 30. vel Sentientia ut *Volucres, Pisces, bruta, & insecta,* Pf. XXXVI. 7. Job. XXXIX. Pf. CIV. Pf. CXLIX. 7. Sap. VI. 8. Matth. VI. 26. 29. 30. cap. X. 29. 30. Luc. XII. 6. (14.) *quævis minutissima in mundo,* ut *Muscas & pediculos* Exod. VIII. 18. *formicas & apes* Prov. 6. Sirac. XI 3. Job. VIII. 13. *serpentes* Prov. XVI. 33. *passerculos in terram cadentes.* Matth. X. 29. & *capillos Capitis nostri* Matth. X. 30. Luc. XXI. 18.

ANTITHESES.

I. *Cicero lib. 1. de Nat. Deor. pag. m. 2. refert: Fuisse & esse Philosophos, qui censuerunt, omnino nullam habere humanarum rerum procurationem DEOS.*

I. *De Epicuro testatur Cic. l. 3. de Nat. Deor. Plin. l. 2. de Hist. Mundi p. 19. & Laëtant. l. 3. Infit. cap. 17. quod dictitarit; Omnia ex caco atomorum confluxu fieri Fortunaque incertis casibus subijci.*

III. *August. l. 5. de Genes. ad lit. cap. 2. annotavit, quosdam Philosophos*

phos tuisse nugaros; sublimia duntaxat & caelestia divina Providentia esse subjecta, hac inferiora autem exceptis speciebus, quae incorruptibiles, fortuitis motibus agitari.

IV. *Judeos omnium Entium Species, non autem Individua divinae Providentiae Objecta credidisse scribit R. Moys. in tract. de Dofa perplex. c. 136*

V. *Hieronymus in cap. 1. Habac. tom. 1. p. 187. ita commentatur; Absurdum est, ad hoc deducere Dei majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur Culices, quotve moriantur, quae cimicum & pulicum & muscarum sit in terra multitudo? quanti pisces in aqua natent, & qui de majoribus majorum praeda cedere debeant? Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosissimi.*

HYPOTHESES.

I. *Creaturas Homini nocentes si quis Dei Providentia putet indignas, attendat in illis 1. Justitiam Dei vindicatricem, cujus sunt Instrumenta, 2. certum bonitatis gradum, quo pollent, cum in signem afferant utilitatem in amictu, quae nullam praestant in victu: quae vitae hominis vitae insidiantur, mortuae Vitam hominis a morte praeservant, pharmacis immixtae; 3. abusum accidentarium, quo Homini per accidens interdum nocent, quae per se nullum afferunt detrimentum. 4. nostram Inscientiam, quae impedit, ut exquisita nobis omnium utilitas non innotescat, cum eorum maximus esset ulus, si ad eum nostra Scientia nos deduceret.*

II. *Quia in minimis Creaturis Dei virtus apparet maxima, harum gubernatio non minuit, sed auget Dei majestatem. Unam bisfiolam, brevem, inquit Aug. in Pl. 148. tom. 8. Col. 1734. minutissimamque considera, quam volueris, si consideres ordinem membrorum ipsius, & animationem vitae, qua movetur, ut pro se fugiat mortem, amet vitam, appetat voluptates, devitet molestias, exerat sensus diversos, vigeat in motu sibi congruo. Quis dedit aculeum culici, quo sanguinem sugat? Quam tenuis fistula est, qua sorbet? Quis disposuit ista? Quis fecit ista? Expavescis in minimis? lauda magnum. Addit Morn. de V. Rel. cap. 11. Nihil tam exiguum, quo Deus non utatur ad maxima, nihil tam excelsum, quod non subigat per infirma; nihil tam vile, quod ad ejus gloriam*

COSMOLOG. CONTROVERSIA II.

riam non faciat, nihil tam hostile, quod pro ejus victoria non pugnet, nihil tam iniquum, quod ejus justitiam non exercent, nihil tam contrarium, quod ad ejus finem non collimet.

III. Cum Solis radii non inquinantur cæno, fimo & luto, quæ iisdem illuminantur, cum speculum lordes faciei præsentet, easdem quæ non attrahit: Cur Dei Providentia, quæ non per contactum, sed ineffabilem motum, omnia intuetur, regit & conservat, à lordibus & spurcitiæ Creaturarum non maneret immunis? pag. 5. *Lactant. lib. 3. Instit. cap. 17.*

IV. Quando ex sacræ scripturæ dictis & exemplis divina Mundi gubernatio est probata, non sunt attendendæ mentis nostræ speculationes, quibus varia opponuntur inordinata, quæ tamen non ἀληθῆς sed tantum φαivόμενως, quia nos rationem & causas divinarum operum, quam consiliorum non capimus, Providentiæ Dei adversantur. Imitemur ergo *Morna* hac in parte pietatem, quam *lib. de Verit. Relig. cap. 11.* hæc sententia declarat: *Laudabo equidem Deum in eis, quæ cognosco, mirabor in iis, quæ ignoro neque qui fumus & bulla sum, mentis potius descere putem, quam ei qui omnia potuit & fecit, providentiam ullatenus deesse suspicer.*

V. Cum dicto *Genes. 2. v. 2.* conferatur dictum *Jobann. 1. v. 17.* & apparebit, Moysen de quiete à Creatione operis 6. diebus conditi, non autem de quiete à Conservatione & gubernatione totius universi, fuisse loquutum.

VI. Verba Salomonis *Eccles. 9. v. 11.* & in textu Originali & in antecedentibus considerata non probant, omnia vagis fortunæ motibus regi, sed de eventu & successu actionum nostrarum, qui non in nostra potestate, intelligenda: ita enim cohæret totus contextus, juxta veritatem Hebraicam: *Non est velocium cursus, nec fortium Victoria, nec victus eorum, qui industria excellunt, nec opulentia prudentum, nec intelligentes semper sunt gratiosi, quia tempus & Casus* (עצם hoc est occurus qui alicui obvenit) *evenit in omnibus illis h. e. ut, recte exponit Philippus Comm. in Eccles. tom. 2. oper. pag. 966, tum demum sunt felices hominum conatus, quando Deus eos adjuvat, datque felix momentum & regit eventus. Non igitur intelligantur & casus Epicuræo more, sed reprehendit Salomo fiduciam nostrarum virtutum & nostræ sapientiæ, quæ imaginantur, sufficere humanam diligentiam sine Deo.*

phos fuisse nugaros; sublimia dumtaxat & caelestia esse subjecta, hac inferiora autem exceptis specie raptibiles, fortuitis motibus agitari.


IV. Judaeos omnium Entium Species, non autem Providentiae Objecta credidisse scribit R. Moys. in tract. de

V. Hieronymus in cap. 1. Habac. tom. 1. p. 187. in Absurdum est, ad hoc deducere Dei majestatem, & menta singula, quovt nascantur Culices, quovve mimum & pulicum & muscarum sit in terra, quavti pisces in aqua natent, & qui de majora prada cedere debeant? Non simus tam fatui ad dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos

HYPOTHESES.

I. Creaturas Homini nocentes si quis Dei indignas, attendat in illis 1. Justitiam Dei vindicandi Instrumenta, 2. certum bonitatis gradum, quo polleat afferant utilitatem in amitu, quæ nullam præstant vivæ hominis vitæ insidiantur, mortuæ Vitam homini servant, pharmaci immixtae; 3. ab usum accidentarii per accidens interdum nocent, quæ per se nullum affertur. 4. nostram inscientiam, quæ impedit, ut exquisita utilitas non innotescat, cum eorum maximus esset nostra Scientia nos deduceret.

II. Quia in minimis Creaturis Dei virtus apparatus gubernatio non minuit, sed auget Dei majestatem brevem, inquit Aug. in Pl. 148. tom. 8. col. 1734. considera, quam volueris si consideres ordinem mentis & animationem vita, qua movetur, ut pro se faciat amet vitam, appetat voluptates, devitet molestias suos diversos, vigeat in motu sibi congruo. Quis culicis, quo sanguinem sugat? Quam tenuis fistula bet? Quis disposuit ista? Quis fecit ista? Expavesce lauda magnum. Addit Morn. de V. Rel. cap. 1. exiguum, quo Deus non utatur ad maxima, nihil quod non subigat per infirmas, nihil tam vile, quo



the scale towards document